

Dissertatio medica inauguralis, de tabe mesenterica / [William Ball].

Contributors

Ball, William.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Balfour et Smellie, 1773.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ps2mfy9v>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
TABE MESENTERICA.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
GULIELMI ROBERTSON, SS.T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;
PRO GRADU DOCTORATUS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GULIELMUS BALL,
VIRGINIENSIS.

Soc. Med. Edin. Soc.

Prid. Id. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXIII.

For Mr. Bacon
From his humble Servt.
Wm. Ball

Viro eximio

RICHARD O'LEE,

AVUNCULO SUO,

Propter morum humanitatem,

Erga omnes benevolentiam,

Et ob multa beneficia praecipue in se collata;

Nec non

HUGONI JAMES M. D.

Apud Carliolum

Artem Apollinarem exercenti;

Nec minus

SAMUEL I EVELEIGH

Carolinensi:

Amicis suis charissimis,

Hancē dissertationem,

Animi grati monumentum,

Dicatam voluit

GULIELMUS BALL,

GUTHIERWUS HALL

Djedouti Suisse

Ambroise de l'Isle Adam

Le Roi d'Ys

Le Roi d'Ys

Djedouti Suisse

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

D E

TABE MESENTERICA.

MORBUS, de quo acturus sum, juniores hominum partem praecipue affligit. Nulli attamen inter systematicos ex professo eundem tractaverunt. Boerhaavius, ejusque commentator Van Swiet. celeberrimi, nihil quidem de eo in medium protulerunt. Symptomata autem praecipua, uti ordine occurruunt, accurate satis apud Junckerum adnumerata inveniantur. In Hoffmanni, Sennerti, et Sauvagesii operibus, perpaucā quidem perlegantur. Hi omnes autem auctores rem admodum leviter percucurrerunt; nec ideo tantum laboris ad indolem ejusdem rite perscrutandam, quantum meretur, infumperunt.

A

Haud

Haud ignari, quam multis difficultatibus omnes investigationes nosologicae confocientur, quantumque ingenii acuminis ad hujusmodi lites componendas requiratur, hocce potius in silentio praetermittere voluerimus. Attamen, ut ratione et via procedat dissertatio, paucula de morbo sub manibus impraesentiarum offerre conabimur.

Ad classem itaque tertiam systematis Culleniani, Cachexias scil. ordinemque primum, nempe Marcores, referendum esse ducere fert animus. Ad quod genus autem pertineat, dixisse haud facile esset. Nulla etenim signa characteristica tabem inter et atrophiam discrimen instituere ponuntur, nisi quod in hac absit, in illa vero adsit febris hectica. Quod quidem minime fatis accuratum esse videtur; quoniam, multis in exemplis, haecce duo genera stadia ejusdem tantum morbi diversa sese habuerint. Hoc forsitan causa fuit, cur Hoffmannus atque Junckerus utramque ad idem quasi caput pertinentem consideraverunt. Nihil febris hecticae, donec morbus per aliquod temporis inveteraverit; immo, non nullis in casibus, tametsi res tandem infeliciter evaserit, penitus quidem abfuit, ut plurimum occurrere observatum fuit. Praeceptor noster Culenus, jure celeberrimus, quippe qui caeteris nosologicis

nosologicis longius enituit, cujusdam, in praelectionibus suis clinicis, exemplum congrue ad rem referebat. Conditionem morbique indolem, ex cadavere dissecto, occasionem investigandi nactus est; et mirum esset, quod nulla hectica, etiam si per menses duodecim duraverit, unquam suborta fuerit. Aliis quoque in casibus hecticam abesse observavit.

Ex hisce itaque perpenfis, vix quidem locus erit, quo ut tabes et atrophia in duo genera distincta fese resolutas teneant. Quapropter, utriusque sub eodem genere complexi, summa cum deferentia, definitionem insequentem tradere audemus.

D E F I N I T I O.

Marcor; asthenia, raro cum pyrexia hec̄tica in initio, semper fere sub morbi finem, citra puris sputum.

Hic autem notandum sit, quod de ea tantum specie quae nomine tabis mesentericae innotescit, quippe quae omnium aliarum longe fit frequen-
tissima atque lethalis, plenius conscribere nobis sit in animo. Hisce argumentis nunc praemif-
sis, ad morbi historiam proxime confugiendum.

M O R B I

MORBI HISTORIA.

Tabes mesenterica dentiendi inter ac pubertatis aetatem, ut plurimum, sese exhibet, quando tumores indolis scrophulofae quilibet maxime insigniter graffari adnotantur. In regionibus Europae septentrionalibus crebrius progignitur; et forsitan ea climata, aëre humido undequaque circumfusa, magis usque infestat; praesertim si vicissitudines calidae humidaeque frigidiores siccioresque saepissime magisque subito excipient.

Exinde, cur Britannia ita ad eandem gignendam efficacissima evaderet, facile patescat. Eandem quoque inter coetus hominum vulgares, in oppidis magnis opicia omnis generis assidue parantes, faevire observatum fuit. Quibus in locis ne mulieres quidem, negotiis constanter occupatas, pueros sub Jove liberius exercere penes est.

In primo morbi stadio, membra, tam inferiora quam superiora, flaccescunt, marcescuntque; dum moles corporisque robur sensim sensimque evanescunt. Abdomen saepius turgidum, durum, et non nunquam magna cum tensione extensum, deprehenditur;

henditur : Interdum vero molle, haud naturae modulum magnitudine exsuperat. Hancce conditionem, diutius immorantem, spiritus difficilis a cibo adauctus, praecipue si systema pulmonicum quodammodo adficiatur, plerumque excipiat. Corpus, haud multo post, laffitudine insolita, cum animi remissione, rerumque omnium fastidio, stipatum exercetur. Alvis plerumque irregularis, frequenter quidem adstringitur ; perfaepe tamen aegrotus diarrhoea molestissima vexatur. Quae quidem symptomata, quasi semper occurrentia, nequaquam aestimanda. Non desunt enim exempla, ubi foeces, spissitudine satis mediocri, et intervallis naturae consuetis gaudentes, expulsae fuerunt. Haud infrequentius dejectiones lientericae, alimento, vix ullam mutationem ex ventriculi ac intestinorum actione subeunte, coöriuntur. Dolores abdominis, praecipue circa umbilici regionem, perfaepe sentiuntur ; et urina crassa atque rubicunda excernitur, quae, si Junckero fides adhibetur, interdum chylofa prorsus adparet ; quod tamen nunquam, vel saltem perraro, accidere, quandoquidem alii celeberrimi autores ne talem quidem statum innuisse videntur, censemus.

Quod

6 DE TABE MESENTERICA.

Quod ad appetitum attinet, nihil pro certo affirmandum habemus, ut qui diversis tantum temporibus aliis atque aliis esse profertur: Modo cibus quam avide devoratur; modo quidem eiusdem desiderium ex toto deletur. Hoffmannus atque Junckerus aegrotos frigida magis appetere aiunt; et, ex Sauvagefio, haud tantum edendi rabiem, sed etiam picam quandam, vel rei nihil ad corpus alendum impertientis desiderium adeffe, docemur. Febris, quacum morbus confociatur, formam hecticam plerumque induere videtur; quae tamen nequaquam constanter, ut supra notavimus, sub initium sese manifestat.

Tabes haud raro, ne ullo quidem damno systemati illato, diutius fortasse subsistat, utpote quod sedem suam in partibus, quae difficilius inflammationi, suppurationi, seu exulcerationi cedunt, obtineat; et dummodo res ita se habeant, cur nulla hectica adnascatur, facile erit videre. Arteriae autem iectibus, aequa ac in hectica, revera crebris, citra faciei post meridiem ruborem, vel exacerbationes vespertinas, vel sudores nocturnos, fere semper pulsant. Morbo concurrente, somnus fit lenis, inconstans, et turbulentus; cui calor lentus, oris fauciumque siccitas,

tas, fitis, pulsus celer ac frequens, accedunt. Facies aliquantulum tumefacta pallore suffunditur, qui circa labia satis aperte cernitur. Oculi, in foveolas altius depresso, fulgorem pristinum amittunt; et palpebrae post somnum contumescunt: Costae protuberare incipiunt; et scapulae, ut ab Hoffmanno exprimitur, alarum instar projiciuntur. Corporis extenuatio, cum virium omnium decremento notabili, magis magisque adaugetur, omniaque symptomata ita paulatim exacerban-
tur, ut aegrotus miserabilis die tandem supremo defungatur.

Morbus saepe in ascitem, vel phlegmatiam, juxta Sauvagesium, morte semper terminandam, delabitur; et viscera eorum abdominalia, qui perierunt, vix unquam fana deprehenduntur; sed, e contrario, hepar, lien, et pancreas, raro si-
ne labe, infarctu, et magnitudine adaucta, conspi-
ciuntur.

C A U S A M O R B I.

Ex supra prolatis, tabem ab glandularum me-
sentericarum obstructione subnasci, constabit.
Quod itidem, ob easdem tumoribus scrophulosis
obseffas,

8 DE TABE MESENTERICA.

obseffas, accidiffe medicorum obfervationes docent. Hisce itaque concessis, vix dubii quicquid restat, quin chylus, ne in vasa sanguifera adferatur, penitus impedietur; et exinde utilis ac necessaria ad corpus alendum materia denegabitur. Ad quam opinionem suffulciendam, nunc plerosque inter medicos nullum aegrum scrophula, quin glandulae mesentericae item adficiantur, unquam abfumptum fuisse convenit; unde sequitur atrophia, five sola, five cum hectica adjuncta. Idem ex diffectionibus de industria institutis clarius elucefcat. Conf. Sennert. t. 4. l. iii. part. iii. cap. De Morb. Mesent. qui refert "quandam puellam Colonienfem, anno aetatis decimo, paulatim in tabem incidifle, et quatuor fequentibus annis penitus extabefactam fuisse, appetitu tamen ejus vix unquam imminuto; nam comedebat atque bibebat non parcius quam si fana fuisset, et exercitia sua puerilia ut plurimum peragebat, neque lecto decumbebat, nisi per sex aut septem hebdomadas ante obitum. Febricula tamen et tuffi vexabatur. Cum autem anno aetatis 14 mortua effet, et mortuae corpus aprireter, mesenterium inventum fuit refertum tumoribus schirrosis duris et steatomatibus, praeципue autem circa vasa et venas quae ad portam

tendunt.

tendunt. Circumcirca portam, tumores schirro-
si inveniebantur multi; quorum nonnulli ovi gal-
linacei, alii nucis et castaneae magnitudinem ex-
cedebant.” Eandem rem Hoffmannus, in T. 2.
cap. de Atroph. seu Tab. infant. dilucide exprimit:
“Qui pereunt hoc morbo, in horum sectione ple-
rumque glandulae mesenterii tumefactae, schirro-
sae, et ipsi abscessus deprehenduntur.” Quam
plurimae observationes ad eundem scopum spec-
tantes, apud Russell. de Tabe Gland. aliosque scrip-
tores, reperiantur.

Haud forsitan alienum foret notasse, tabem o-
riginem quasi vermis intus hospitantibus falso
saepissime attributam, ac proinde malis eventibus
stipatam, fuisse. Frequentius enim eos, nullo quo-
libet damno constitutioni superinducto, revera ad-
fuisse cognitum fuit. Quod ad tabem autem in-
ducendam minime aptantur, sive nutrimentum,
quod aliter per totum systema sese late diffundat,
consumendo, vel alioquin vitium intestinis imper-
tiendo, haud directius inficias ibimus; sed ea res
nequaquam adhuc dilucide fatis intelligitur, nec
exponitur. Minime pro certo, quidnam ansam
vermium peculiari incremento praebeat, habemus:
Sed nutrimento potius in chylum subacto, quam
aliis fluidis inquilinis, forsitan aluntur. In hocce

10 DE TABE MESENTERICA.

rerum articulo, si mesenterium obstructionibus quodammodo occluderetur, eo plus iis pabuli expeditaretur; et exinde, majori in quantitate generati, cum tali systematis statu connechterentur. Porro, si factis credamus, tabem mesentericam vermesque saepius inter se connexum habere plane adparebit. Istiusmodi exemplum, quod in nosocomio regio Edinensi, anno praecedente, sese exhibuit, conspexit meminimus. Puer, qui diutius omnibus tabis symptomatibus oppressus fuit, vermes nec minus frequenter per morbi decursum evacuabat. Tandem mortem obiit, et mortui corpore diflecto, mesenterium tumoribus scrophulofis obfessum multis inveniebatur. Viscerum abdominalium nonnulla mole haud paululum adaugabantur; nec pulmones ipsi sine labe conspiciebantur. Quocirca, ex hisce quibuslibet penitatis, tumores glandularum mesentericarum scrophulofos ad malum maxime omnium pollere gignendum, perdisci potest. Qui quidem rei conspectus melius, ut opinamur, quam si alteram ideam amplexi fuerimus, ad phaenomena, quibuscum confociatur, exponenda nos adjuvabit.

Expectandum forte esset, nos, more solito, paucula quaedam de causis, quae nomine ut plurimum praedisponentium et occasionalium gaudent, adferre

ferre oportere. Hanc vero partem ex industria in neglectis relinquere volumus ; tantum dicturi, ab omnibus ea, quotquot ad scrophulam creandam aptantur, rite petenda esse. Hujuscet vitii natura adhuc multis in tenebris obvoluta jacet ; quippe quae ab defectu quodam originario, in prima foetus formatione impertito, ac ideo a parentibus ad liberos prodiit, promanare censetur. Sed quid et quomodo fiat, ne omnes quidem medicorum indagationes haec tenus detexisse valuerunt. Praeterea, minime de scrophula ipsissima, sed solummodo de morbo qui affectui scrophuloso inniti videtur, tractare statuimus. Quapropter ad aliam partem nunc investigandam nosmetipos accingamus.

RATIO SYMPTOMATUM.

Singula morbi phaenomena recensere, et fusius explicare, nimis longum foret, nec operae pretium ; sequentia tantum adtingere sufficiat.

Abdominis tumidi causam patefacere, inter difficillima equidem ponitur. Neque in physconia Sauvagesiana, sive ex mole viscerum abdominali-

12 DE TABE MESENTERICA.

um quorundam ampliata, provenire videtur : Ple-
risque enim in casib^{us}, vix ac ne vix quidem fieri
possit, ut abdominis magnitudo, quod aliquando
permultum distenditur, ex hoc fonte explicari
queat. Nec glandulae mesentericae, nonnunquam
naturae modos longius excedentes, quando ad mo-
lem usque cerasi seu castaneae augeantur, ad nodum
juste solvendum sufficient. Tumorem potius ex
conditione quadam tympanitica suboriri suadere-
mur ; ad quod confirmandum, videmus quam
maxime mesenterium, aequo ac alia viscera tumori-
bus phirrosis oppressa, in canalis alimentarii vigore
abolendo valere: Qui status huicce distensioni tym-
paniticae pro certo ansam praebere potest. Etiam si
vero tonus quidam amissus phaenomenon rationem
faepius reddere satis erit ; minime tamen admitti
potest, ubi appetitus peracutus, cibusque in cocti-
onem rite subactus, ventriculum vigore suo con-
fuetu ex exerceri plane evincent. Quapropter ad a-
liam causam, quae, frequentius quam in genere cen-
fetur, forsitan vires suas exferat, omnino confugi-
endum est. Magna aëris copia cum chylo admis-
cetur ; quod quidem, etiam cum jam in ductum
thoracicum pervenerit, manifestum est. Tametsi
plurimum aëris in illum ductum jam in statu fixo

transfisse

transfusione censemus; nihilominus ab experimentis, in antliis quae ad aërem exhauriendum aptantur captis, chylum massam admodum flatulentam esse evidenter adparet. Quando autem in vasculis lacteis absorbeatur chylus, ejusdem flatulentia magis fortasse sese coarctatam teneat; ac ideo, quo longius in intestinis detinetur, eo magis aër nondum bene fixus iterum elabi queat: Unde accideret, quod aërem tanta in quantitate, quanta ad symptomata, de quo agitur, tympaniticum producendum valeat, segregare queat.

DIARRHOEA inter symptomata lethalia plerumque collocatur. Si mesenterii glandulae obstructione quam magna tententur, haud tantum chylicommeatus occludetur, verum enimvero supponere, vascula cujuscunque generis absorbentia in canalem alimentarium inhiantia aequaliter affici, nobis liceat. Quam ob causam omnia fluida, quae in intestinis continentur, ex necessario per anum foras eliminata, diarrhoeam procul dubio constituerunt.

ALVI CONSTIPATIO originem suam ab viscerum nonnullorum mole vicinorum ampliata, vel ab glandulis forte mesentericis aductis, trahat; cum spatii plus solito justoque occupantes intestina coarctarent, et quo foeces tardius tardiusque descendentes,

derent, prorsus efficerent. Sin atonia eodem tempore intersit, omnia in pejora ruent; quia intestina ista vi contractili, quacum in statu sano valide florebant, tandem destituta, suppetias, quibus suorum contenta detrudantur, haud impertire queant. Dispositioni quoque huic atonicae, cum quadam irritabilitate conjunctae, dejectiones lientericas attribuendas esse censemus.

Quaedam attamen (uti in historia memoratum) adfunt exempla, ubi venter per totum morbi decursum satis mediocriter se se exoneravit. Hoc in casu, glandulae mesentericae, ex toto occlusae, ne vix quidem cum vita constare possint; quia systema omni suo nutrimento citius spoliatum foret; cui febris putrida, morte paulo post terminanda, superveniret. Adeo itaque permeabiles fiant, ut meatus fluidis tenuioribus, et certae chyli portioni, facilius concedatur. In hunc finem, clar. Cullenus quendam casum, qui exitium tandem infixit, designasse videtur; ubi aegrotus plurimum potus ingurgitaverat, et urina simili quasi ratione excreta fuit. Hinc stomachi ac intestinorum tono permanente, haud difficile est conceptu, quomodo foeces alvinae satis ad normam dejiciantur.

APPETITUS conditiones varias, ab auctoribus memoratas, perfectius exponere difficultum quidem

dem evaderet. Probabile tamen est, eum inter et organa perspiratoria connexum quendam arctissime subsistere; unde appetitus ea ratione, qua haecce exinaniantur, incitari solet. Quare, alimento quam parce tantum suppeditato, citius exhaustur organa perspirationi inservientia, et, ventriculi tono integre vigente, ut appetitus quam mordaciter acuatur, efficient. Etiam si res nonnunquam ita se habeant; attamen, si stomachus tonum suum amiserit, a causa, quae appetitum antea promovere solebat, nequaquam nunc excitabitur.

CORPORIS EXTENUATIO in succi nutritivi defectu, vel ejusdem insufficienti ad partes solidas appositione, quippe quod chyli transitus per vasa lactea omnino denegetur, fortasse consistat. Ni corporis enim partes, quae per meatus suos diversos perpetuo absuntur, materia ex aequo quadam reficiantur, vires evidenter decrescent.

DOLOR VENTRIS ad glandulas aductas, irritationem intestinis praebentes, referendus fit. Eadem quoque irritatio vermibus, si ibi forte sublata, multo acrior reddetur.

FEBRIS quae plane hectica est, nisi glandulae prius in suppurationem abierunt, nusquam occurtere notata fuit. Pus, utcunque generatum, ad omnia febris hecticae phaenomena excitanda pollere,

pollere, ulcera in aliis corporis partibus diversis exorientia evidentius docent. Hujusmodi etenim febris, ni pus, semel confectum, maturius elicitum fuerit, usque sequetur. Quibusnam vero rationibus vires suas exferat, vix dijudicare audemus.

PULSUS FREQUENS, cum febre conjunctus, ex eo fonte deduci possit. Quando autem febris pulsus frequentem nulla quidem comitatur, certum debilitatis statum, quo phaenomenon solvatur, in auxilium advocare conveniet. Quo in casu, cor, debilitatem cum reliquo systemate participans, haud satis valide, quo ut omne in eo contentum unaquaque systole plenius evacuetur, sepe contrahere posse. Quamobrem, uti contractiones quaelibet ex oeconomiae legibus crebrius iterentur, necessario sequeretur; et exinde pulsus eveniat frequens.

D I A G N O S I S.

Cognitu admodum difficile est, quando glandulae mesentericae tumoribus scrophulosis ad amusim tentantur. Quamvis enim certa symptomata suspicionem aliquam de se praebent; glandularum

tum tamen situs ita occultus frequens sit causa, cur e tota via deerremus. Fernellius (in lib. 6. de part. morb. et sympt. cap. 7.) signa nonnulla in medium protulit, quae ad diagnosin stabilieram quodammodo inserviant. Rebus autem omnibus accurate perpensis, rem valde obscuram esse agnoscit. En, ipsius verba : “ Haec autem obscuritas multis fuit causa ignorantiae, et cur harum partium affectus praetermissi fuerint, nec veterum scriptis celebrati.” Interim danda opera, ut, quantum liceat, in eorum notitiam veniamus.

In genere, ni venter quam valde distensus fuerit, morbi indoles, ex duritie per abdomen inaequaliter sese tendente, quod nodis et tuberculis percipitur quasi refertum, rectius cognoscatur ; praesertim si alia atrophiae phaenomena superaddantur. Ex dissectionibus attamen, ubi mesenterium talibus nodis aliquando repletum fuerit, adeo cum portionibus intestinalium diversis undique circumdatum fit, ut abdomen molle persentiretur, nec tactu quodlibet inaequale seu durum deprehendi posset. Ex quibus fatis constat, hujusmodi status absentiam, cur morbum praesentem esse denegemus, imprimis si alia quaedam signa rem aliter sese habere commonarent, nequaquam sufficere. Sin aegroti paren-

tes scrofula olim laboraverint, et caetera symptomata apud historiam antea designata, cum tumoribus glandularum lymphaticarum scrofulofis externe complicata, occurant, mesenterium affectibus strumosis adfligi extra aleae dubium ponatur. Hae attamen strumae saepius perquam sepulta, et alte occultae, in mesenterio latuerunt, tamen si nullatenus sese externas prodiderint. Quare, ex temperamento ad habitum scrofulosum utique disponente, cum rachitide quadam coniuncto, (quod saepissime plus minusve cum ea complicatum sit), tabem mesentericam vitium nominare suaderemur. Si, praeter haec omnia, vires corporisque robur, cum quibusdam ventris symptomatis, febricula lenta concurrente, gradatim imminuantur, vix equidem in errorem de diagnose incidere liceat. Denique, haec omnia, rite simulque ponderata, multum forsan nos adjuvabunt.

P R O G N O S I S.

Morbi sedes indolesque peculiaris, uti prognosin pejorem in partem interpretaremur, ex primo intuitu nos ut plurimum inducerent. Extant tamen exempla, ubi, postquam in longum tempus duraverit,

duraverit, ad fanationem perfectam attingatur. Si aequa lance cum scrofula in genere perpendetur, prognosis nequaquam ita infaustissima trahenda sit. Quoniam id genus tumores, variis in corporis partibus prognatos, tandem absque ullis suppurationis signis resolutos esse dicitur, non facile est videre cur idem in mesenterio haud etiam eveniat. Ad quod stabiliendum, praceptor noster, Cel. Cullenus, ait, seipsum observasse pleraque symptomata, mesenterii affectionem strumosam comitantia, circa tempus, in quo scrofula ut plurimum decessit, nec minus evanescere. Quo rectius autem de morbi eventu felici seu fatali dijudicetur, tum ejus durationem, viresque systematis, necnon symptomatum indolem, accuratius omnino perpendendas esse liquebit. Si diarrhoea, quae circa stadium morbi postremum frequenter sese manifestat, reliquas adhuc vires consumit, et materiae spurcitia jam corruptelam in abdomine latentem indicat, malum, artem medicatricem illudens, nullo quidem remedio tolli potest: Si morbus diu inveteratus altiores egit radices, et viscera nobilia, scil. hepar, lien, pancreas, renes et pulmones infarcta sunt, vel prorsus schirrosa, tunc curationi vix supereft locus. Si demum corpus valde atque insigniter emaciatum fuerit, et infarctu in ex-

ulcerationem

ulcerationem evidentius abeunte, febris hec̄tica supervenerit, quam ex signis eam comitatis cognoscere liceat, aegri certius citiusque succumbent. Sin, e contrario, appetitus magis constans et regularis revertitur, cum coctione ciborum emendata, eo quod ventriculus intestinaque vigorem suum recuperaverint; si abdominis tumor gradatim imminuatur, et vires antea depresso cum animi vigore solito recolligantur; morbum sanandi spes latius adfulget. Ex Hoffmanno, malum haud adeo inveteratum, aut nimio viscerum infarctu minus sustentatum, per febres intermittentes saeppe feliciter sublatum, docemur. Confitendum tamen est, quod morbus plerumque ex ulceratione, nullis remediis, nulla arte devincenda, seu infarctionibus, quae scenam infelicem occludunt, tandem finitur.

METHODUS MEDENDI.

Haud forsitan ab proposito alienum foret observare, quod eadem methodus, quae ad scrofulam amovendam accommodari videtur, aequa probabilitate opem malo mesenterico policeatur. Eo consilio

confilio indicationes, quae se se offerunt, in binas sequentes forsan resolvi possunt.

I. Tumefactiones morbum constituentes, quantum fieri possit, ut amoveantur, conari.

II. Vigorem ac systematis tonum restaurare atque corroborare.

Quarum utramque simul conjungere haud abs re forsitan esset. Sed, ut res ordine procedat, de omnibus sigillatim pauca proferre melius putamus. De rationibus itaque, quibus perficiantur, proxime differendum est. Quod ad primam spectat; ad hanc indicationem absolvendam varia remedia quam maxime collaudata fuerunt; quorum perplurima experientia neoterica quasi vana atque inutilia esse testatur. Talibus itaque in silentio prætermisssis, animum solummodo ad ea, quaecunque plus boni præ se ferre videantur, præfertim advertemus. Systema lymphaticum haustibus aquae communis largis et saepius iteratis eluere, multo cum emolumento stipari censetur. Quod autem remedium quibusdam medicamentis permistum multum adjuvari vero simillimum est. In hunc finem perplurima tam proposita quam usurpata fuerunt, scil. sulphuris et ferri impregnationes; item decocta ex farfaparilla, China, foeniculi radice, &c. confecta; quorum singulis sui fautores lau-

dem

dem attribuerunt. Aquae utcunque minerales inter efficacissima rectius forte recensentur; ideoque multifariae in usum advocantur. Nunc vero inter plurimos omnia, quotquot ex materia salina parantur, caeteris quam multum praestare convenit. Et haud medicorum perpauci plus commodi ex aquae marinae, quam ullius aquae mineralis usu, derivari testantur. In quam sententiam Cl. Cullenus lubentissime discedit: Ille etenim ait, sese plures aegrotos aquae marinae, prout videtur, quam ullius quidem aquae mineralis, ope sanari conspexisse. Quod quidem Russelii auctoritate ulterius confirmatur in libro suo de tab. gland. ubi de ejusdem virtute in hoc morbo fusius tractavit. Ecce in pagina tricesima octava, et quadragesima, ita se expressit: “Non enim aliud quoddam medicamentum novi quo melius quid discutitur, quam marina aqua interne sumpta. Marina aqua duo praecipue commoda affert: Alterum est, quod tutissime alvum a constipationis metu liberat; alterum, quod melius caeteris omnibus discutit. Et veteres quidem aqua marina in hisce morbis uti consueverunt. Aquam vero maris per se (auctore Plinio) efficaciorem discutiendis tumoribus putant medici. His etiam et illud commo-

di accedit, quod et digestioni et chylificationi marina aqua prodest."

Hujusce effectus pecorum mercatores haud ignari videntur. Quando enim ruminatio iis defecrit, ciborumque coctio multum minuta fuerit, ad utramque redintegrandam, vel haustus aquae marinac repetitos, vel bolos ex melle et fale marino confectos, illico praescribunt. Praeterea vaccae, quibus opportunitas aquam marinam ingurgitandi datur, multo plus lactis, quam eae quae eadem privantur, certius praebebunt. Ad quem defectum supplendum, agricultae quaedam salis marini portiones, cum cibo ordinario permixtas, subinde iis administrare confueverunt.

Aqua marina non tantum ad glandulas lymphaticas eluendas inserviat, sed, ut vasa absorbentia melius fluida ex tubo intestinali sugere possint, forfitan efficiet. Sin vero difficultas evaderet aquam marinam comparare, praeparato juxta modum sequentem tutissime confidimus.

Uncia una salis Glauberi cum salis marini unciis duabus in aqua fontanae lib. iii. probe solvatur; quod ita paratum aegrotis, prout vires aetasque ferant, praescripsisse conveniet.

Haud incommodum esset medicamenta haecce magna cum portione aquae communis probius diluere,

luere, ne vires eorundem catharticae nimis libere exhibeantur; quod ad tonum intestinalium magno pere debilitandum valeat, spemque nostram omnino fallat.

Ex aliis rebus circumstantibus rationem, quae plerumque obtinet, aquae marinae, quo alvus vehementer subducatur, administranda, erroribus omnino refertam esse constabit. Idem enim quasi catharticum reddendo, nihil aliud quam canalis alimentarii elutriatio obtineatur; quoniam ad glandulas lymphaticas, ubi vires suas praecipue exferre deberet, minime pervehi queat. Quapropter, aquam marinam, seu secundum naturam vel artem paratam, in ea tantum proportione, quam aeger absque purgationis nimiae periculo facilime perferre possit, quo venter semel tantum indies elicatur, omnino praescribere oportet.

Notandum est, aquam marinam semper, si fieri possit, ex oceani fluxu, paulo ab littore longiore, adferri oportere; quo omnis materiae extrinsecus advenientis exquisite immunis dotes suas fortissime possideat. Haecce regula, si in oppidis circa portus maritimos construetis commoremur, speciatim observanda foret, quia aqua salina variis rebus, ad ejus virtutem imminuendam valentibus, e necessario commista fuerit. Aquam efficaciorum, prout

hanc

hanc cautelam respiciamus, item redi ab experientia compertum est.

Tametsi remedium hocce multis admodum laudibus sublatum sit; adsunt nihilominus medici illustres, qui ex chalybeatis perplurima impense admirantur. Quocirca casus haud paucos, perniciem prorsus interminantes, ex iisdem cum judicio administratis, tolli atque fugari affirmaverunt. Ex omnibus autem hactenus cognitis, tinctura martis a Sauvagefio atque Junckero virtutibus quasi optimis induita designatur. Si quidem in usum advocetur, cum copia laticis etiam aquosi diluere ac temperare forsan necesse erit. Haecce omnia medicamenta actionem suam ratione haud ab aquae marinae indole dissimili probabiliter exhibeant.

Alia etiam medicamenta ex stanno atque mercurio confecta magnopere quidem efficacia esse praedicantur: Forsitan nonnullos bonos effectus edere possint, praesertim si vermes cum morbo complicati fuerint. Quod nihil utcunque incommodi ex eo subortum fuerit, vix inficiandum est. Nec doses satis ad normam moderari, nec satis diu in eorundem usu persistare, licitum erit. Praeterea, si vermes strages internas pro certo conspergant, remedia antea decantata aequa ad hosce subigendos efficacia reperiantur. Sed quid multis? Ab aqua marina, perfectius exhibita, plus auxilii commode, quam ab ullo alio medica-

mento, deduci persuasum haberemus: Eandem rem etiam experientia probatam reddidit.

Hacce prima indicatione finita, ad secundam proxime recurrendum; quod vigorem systematisque tonum restaurando omnino perficiatur.

Cui intentioni adimplendae remedia sequentia, scil. lavatio frigida, exercitium, atque cortex Peruvianus, utpote quae inter corroborantia validissima merito recensentur, opportunius accommodari videntur.

Balneum frigidum ac exercitatio, una cum remediis quae ad primam indicationem implendam usurpantur, idoneè satis adhibeantur. Sed melius fortasse corticem Peruvianum, donec, obstructionibus penitus fugatis, nil nisi laxitas corporis generalis permanferit, omittere foret; in quo rerum statu quam utilissimum esset. De singulis itaque paucula in ordine dicenda.

Lavatio frigida ad vires systematis, morbo confractas, reficiendas, inter optima atque praefantissima jure censetur. Clar. Hunter, Londini professor eruditissimus, quamque liberorum prae-dispositionem scrophulosam tonicis, praesertim autem lavatione frigida, maturius usurpati, e radicibus tolli credit. Vigorem ea placidum per totum systema diffundit; pulsus fortiores plenioresque

resque reddit; appetitum incitat; concoctionem promovet; et aegrotantem magis hilarem atque tranquillum praestat.

Tametsi plurimum utilitatis ex lavatione frigida derivandum sit, quaedam nihilominus cautelae, ne plus mali quam boni ex ejus usu succedat, omnino perpendendae sunt. Cavendum ne debile corpus temerius ad primum immergatur; quoniam ex eo superficies adeo subita constrictione corripiatur, ut sanguis nimis valide ad interiora adpellatur; unde obstrunctiones periculosae, seu rupturae forsan exitiales, facillime suboriri possint. Pars tantum corporis, scil. pedes atque crura, principio immergatur; quod paulatim augendum est, donec ad lavationem perfectam, prout vires ferant, tandem perveniantur. Immersione denique rite peracta, cutis et crines praecipue quam probe et subito linteolis exsiccentur. Vini, seu spiritus *Rum* vulgo dicti, pauxillum, aqua commixtum, admodum commode propinetur.

Exercitatio probius instituta, remedium ita saluberrimum atque utilissimum comperitur, ut haud tantum ad morbos semel inductos ex toto fugandos perolleat, sed eorundem insultui quam validissime praeveniat. Istiusmodi fiat, quae citra defatigationem corporisque lassitudinem est. Si

vires

vires systematis multum infringantur, ab exercitatione leni atque modica prius incipiendum, et ad vehementiorem sensim sensimque progrediendum est. Quocirca, ut opus idoneè perficiatur, aegrotus in rheda sub initio provehi debet. Vehiculum apertum iis quae supra integuntur anteponendum est. Opportunitas enim habenarum gubernandi facilius aegroto concessa pro exercitatione nonnihil inserviat. Coelo quoque liberiori suaviterque redolenti commode perfrui licitum erit. Opera porro naturae pulchriora, magna cum benignitate quam eleganter undequaque circumfusa, animum ferme despondentem voluptate amoena jucundaque latissime perfundant.

Si haecce exercitationis forma, quae ex lenissimis sit, robur systemati gradatim restituerit, ad equitationem proxime recurendum est: Quod in phthisin sanandam plurimum, juxta Sydenhamum, valet. Sin aegroti adeo paupertate premantur, ut vix ad hos exercitationis modos pertingere possint, uti sub dio spatiarentur, terrasque aratro profindant, adhortaremur. Quae postrema pauores, melius quam opulentiores, qui ex more vivendi multum enervantur, citra fatigationem perpetiqueant. Hisce rationibus solida simplicia densiora confirmantur; robur atque vigor viventibus conceditur;

conceditur; fluida per canales suos facilius libe-
riusque percitantur; secretiones excretionesque
naturales restituuntur.—Navigio quoque per ae-
quora provectiones ad tabem mesentericam lenien-
dam quam maxime conferant. Tonum systema-
tis corroborant, appetitum adaugeant, et fluida
ad superficiem justius advocent. Tenore praeter-
ea aequabili ac constanti per diem noctemque ex-
erceantur.

CORTEX Peruvianus, ad systema corroboran-
dum, omnibus medicamentis, quae hactenus in-
terne adhibita fuerunt, haud injuria antefertur.
Ventriculi enim actionem promovendo, ne diuti-
us ingesta ibidem remorentur, luculenter obstat.
Quas ob rationes, prius in duodenum depellantur,
quam in stadium fermentationis perniciosum tran-
siisse possint. Tonum intestinorum roborando,
flatulentiam coercet; motus peristalticos magis
regulares reddit. Ejusdem porro effectus, longe
lateque pervagantes, systematis nervosi mobilita-
tem compescant.

Adhibetur autem cortex Peruvianus ex quoli-
bet vehiculo idoneo in pulverem praestantissime re-
ductus. Cum vero hunc minus recte ferant quo-
rundam stomachi imbecilliores, hisce ideo corticis
ex aqua decoctum propinari solet. Et, quando
virtutes

virtutes ejus aqua frigida melius extrahi demonstratum fuit, priori modo infusum praestare censemus; cui spiritus vini pauxillum etiam addatur, quo partes resinosae perfectius solvantur, et ventriculo levior evadat.

Quod ad *Diaetam* attineat; cibus qui ventriculum intestinaque quam paululo laceffat, et minima ex parte parari prius requirat, quam ad corpus alendum valeat, commodius ingeratur. Hinc diaetam lacteam usque pulcherrime respondere liquebit. Juscula nec non ex carnibus bovinis confecta, aliaque id genus, aptissime sumantur. Quorum omnia, cum pane admixta, ad coquendum facillima, nec ventriculo gravia, offenduntur.

F I N I S.